Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1635
Quelle:
Copyright:



*inter causidicos et quosdam notarios de conformacione illorum vite tempore domini Manuelis de Madio* (Maggi) *pot. Jan.* Τὸ *Jan.* lego *Januensis;* lineola vero τῷ *pot.* incumbens legendum suaderet *pontificis*, si modo inter Pontifices *Januenses* occurreret *Manuel.* Itaque legendum erit *Potestatis* (Podestà) id est Praetoris; huic enim plurimum cum hominibus forensibus est negotii. Sermo incipit: *Congregacio nostra sit in nomine domini, a quo est omne datum optimum* &c. Alter hanc Rubricam praefert: *Item sermo factus super illuminacione spirituali et corporali refectione et que sint necessaria in refectione.* Initium: *Orate Dominum fratres vt misterio sue sanctitatis per me seruum suum inutilem atque indignum ministret vobis hodie aliquid vtilitatis. Fratres mei more solito hic congregati propositum nostre congregationis inspiciamus circa illud aliqua vtilia pertractantes; propositum vero nostre congregationis triplicem habet causam, quarum prima est illuminacio, nam consueuimus hic congregari ad collacionem faciendam, ut oleum ematur de quo sacer iste locus illuminatur. Secunda causa est spiritualis refectio quam hic a fratribus* (Religiosis) *cum deuocione suscipere consueuimus. Tertia est corporalis refectio quam hic cum caritate debemus sumere* &c. Plura dedi, ut cognoscat Lector, agi de pio Coetu, quem Homines forenses, ut multi alii Ordines, statis temporibus ad quoddam religiosae Familiae Templum vel Sacellum jam Sec. XIII. agebant, variis deinceps nominibus *Confraternita, Congregation, Gilde, Bruderschaft* compellato, cujusmodi Coetui Mercatorum originem debuit Ordo Servorum B. V. *Mariae.*

V. *fol.* 107. *Incipit liber de ortu et vita beate virginis marie et de infantia saluatoris.* Praeit nota illa Majorum et Parentelae *Christi* Genealogia ab *Anna* et *Esmeria* ad *Jacobum* majorem et *Johannem* Evang. Sequitur Epistola *Chromatii* et *Heliodori* Epp. ad *Hieronymum: Ortum beate marie virginis* &c. cum Responso *Hieronymi: Qui terram auri consciam* &c. Produxi jam Spuria haec *Vol.* I. P. 1. *col.* 858. et extare dixi cum in *Fabricii Cod. Apocrypho N. T.* p. 7. et 8. tum T. XI. *Opp. Hieronymi* edit. *Vallars. col.* 279. at, quae jam iis succedit *Vita B. Mariae*, non stilo tantum, sed variis etiam narratiunculis differt ab iis, quae apud hos Autores reperi. Initium est: *In diebus illis erat Vir in israel nomine Joachim ex tribu iuda. hic erat pastor ouium suarum timens dominum in simplicitate et in bonitate sua* &c. Ita proceditur usque ad *Christi* nativitatem, in qua desinunt Autores *citt.* Non ita nostrum Exemplar; sic enim continuat: *Jam uero natiuitas domini aduenerat ac Joseph perrexit querere obstetrices* &c. Vides nexum cum spurio *Evangelio Infantiae Christi*, quod apud *Fabricium cit.* p. 168. incipit, dictione vero et rerum ordine a nostro rursus multum